

objectum prius est actu, et specificativum specificativo, utpote causa ejus. Pro ea autem parte qua est effectus, et operatio a voluntate procedens, et imperata, malitiam, vel bonitatem habet formaliter saltem denominative.

XLIII. Et ad instantiam de actu indifferenti, quod non minus esset malus si ex intentione mala procederet, quam actus malus furti si ex eodem fine malo procederet, responderetur diversam esse rationem, quia actus furti, vel quilibet alius, ex se malus, habet de se esse objectum malæ voluntatis, et consequenter habet objectivam malitiam, quam non habet actus indifferentis. Quare actus indifferentis si redditur malus ex actu interiori, debet esse mediante fine malo distincto, et volito per actum interiorem, a quo imperetur, et vitietur actus indifferentis, ut cum aliquis ex animo occidendi, vel furandi imperat actum ambulandi, qui est indifferentis. At vero actus ex se malus, ut adulterari, vel furari ex propriis meritis, et sine alio fine adjuncto habet malitiam, et ita plus mali habet quam actus indifferentis, qui solum participative vitiatu est fine extrinseco.

XLIV. Secundo arguitur in favorem sententiæ Vazquez. Nam D. Thomas in quæstione XIX, articulo VII ad tertium dicit: « Quod voluntas ut sit bona debet esse boni sub ratione boni, ut vero sit mala sufficit, quod sit mali, licet non sub ratione mali. » Et idem videtur docere in quæstione XX, articulo II et III. Et in articulo primo docet: « Quod malitia quam habet actus exterior ex objecto, et circumstantiis non derivatur ab actu interiori voluntatis, sed a ratione. »

XLV. Quod si dicatur D. Thomam loqui de malitia, vel bonitate objectiva, non de formali, hæc enim ab actu interiori derivatur, contra est

quia eodem modo loquitur D. Thomas de malitia, et bonitate orta ex fine, atque orta ex objecto; sed quando dicit malitiam ex fine per prius esse in actu interiori loquitur de malitia formali; ergo etiam quando loquitur de malitia ex objecto. Nec obstat, quod actus interior sit causa actus exterioris, ut propter hoc dicamus solum objective esse in actu exteriori, et formaliter in interiori. Nam contra est, quia etiam medicina est causa sanitatis, quæ est in animali, et tamen in animali est sanitas formaliter in medicina denominative, sed D. Thomas dicit malitiam moralem communicari ab actu interiori ad exteriorem, et e converso secundum denominationem analogicam, ut patet quæstione XX, articulo III ad tertium; ergo bene stat quod in actu exteriori sit formaliter bonitas, vel malitia, et in interiori solum denominative.

XLVI. Confirmatur, quia ut docet Aristoteles II ethicorum, capite IV, ut actus sit bonus non sufficit versari circa bonum, sed ferri in bonitatem objecti propter ipsam, quod tamen non requiritur ad hoc ut actus sit malus, sed sufficit esse circa malum, vel circa indebitam circumstantiam, sed ordinare in finem, et ferri in bonitatem propter ipsam, est proprium voluntatis intendentis finem; ergo talis bonitas per prius invenitur in actu interiori quam in exteriori, licet malitia possit inveniri e converso, quia non requiritur quod sit intenta, imo nec cognita, quia sufficit fieri cum ignorantia vincibili.

XVII. Respondetur sensum D. Thomæ quantum ad primum locum ex quæstione XIX intelligi, quod voluntas ut sit bona debet esse boni sub ratione boni, id est, sub ratione alicujus finis boni, quia debet ex bona intentione procedere, non tamen ita quod omnis actus volun-

tatis circa bonum habeat illud idem bonum pro fine, sed potest habere illud pro objecto immediato, et ab ipso habere bonitatem, supponendo tamen alium finem etiam bonum a quo oriatur, et imperetur. Et sic etiam salvatur bonitas aliqua in actu exteriori, scilicet desumpta ab objecto.

XLVIII. Ad secundum locum dicimus satis explicatum esse in superioribus, videlicet quod in actu exteriori, qui præsupponitur esse voluntarius et liber, malitia quæ sumitur ab objecto, et circumstantiis non derivatur ab actu interiori. Ubi loquitur de actu exteriori non solum pro actu externo a facultate organi exterioris orto, sed pro quocumque actu imperato, sive eliciatur ab ipsamet potentia voluntatis, sicut actus electionis est exterior, et imperatus comparatione ad actum intentionis, sive eliciatur ab alia potentia, et facultate præter voluntatem. Talis ergo actus exterior si voluntarius esse præsupponitur, habet formaliter, et non solum objective malitiam ortam ex objecto suo propria, quia habet illam ut actus voluntarius et liber, et in objecto relucet ordinatio ipsa legis, secundum quam voluntarius ille actus ordinatur, et regulatur. Ergo talis actus respectu sui objecti formalem habet malitiam, vel bonitatem. Et per prius illam habet quam actus interior, quia actus interior non præbet illam actui exteriori, ita quod participative ab actu interiori eam habeat actus exterior, sed immediate a suo objecto, eo quod objectum est immediatum specificativum illius. Et dicitur in hac bonitate, vel malitia non dependere, seu non participare illam a voluntate, sed a ratione, quia participat illam ab objecto ut subest regulis rationis, et hoc est habere illam a ratione, sed quia non supponit prius es-

se attactum tale objectum a voluntate, seu ab actu interiori voluntatis, ideo dicitur non derivari a voluntate, sicut derivatur bonitas, vel malitia finis, sed a ratione, id est, ab objecto regulatur ratione. Quia tamen præsupponitur actum illum esse voluntarium, seu liberum, et hoc diverso modo invenitur in actu exteriori imperato, id est, vel intra ipsam voluntatem, vel in alia potentia extra voluntatem, diversimode etiam contingit actum esse formaliter bonum, aut malum.

XLIX. Nam actus egrediens ab ipsa voluntate, vel ab appetitu participante in se intrinsece aliquid libertatis, licet sit actus exterior, id est, imperatus ab alio priori, tamen non ex ipso interiori, et imperante actu habet rationem voluntarii formalem, et propriam, sed ex ipsa potentia eliciente, quæ in se libera est, vel proprie et essentialiter ut voluntas, vel participative ut appetitus, si quidem potentia ipsa etiam ut eliciens talem actum libera, et voluntaria est; ergo per se, et ex vi elicientiæ vitalis communicare potest libertatem intrinsece ipsi actui, id est, per respectum ad suum principium eliciens, et respectus iste intrinsecus illi est. Ab actu autem interiori, seu imperante non elicitur nec procedit vitaliter talis actus imperatus et exterior, sed solum ut ex fine movente, ergo tales actus exteriores non participant libertatem, seu rationem voluntarii ex actu interiori, et consequenter suam propriam bonitatem, aut malitiam haustam ab objecto formaliter habent per se, et ut actus vitales sunt a talibus potentiis orti, non per prius habetur formaliter in actu interiori imperante. Secus est de actibus omnino externis, et alterius facultatis ab appetitu, et voluntate, hi enim actus non sunt formaliter intrinsece liberi, sed solum denominative, ex

eo solum quod imperantur ab actu interiori, et sic licet possint objective habere malitiam ex se, quia potest ille actus exterior esse objectum actus voluntatis, non tamen formaliter habent bonitatem, aut malitiam, loquendo formaliter intrinsece, quia non habent hoc modo rationem voluntarii et liberi, sed solum per denominationem extrinsecam, et hac ratione verum est, quod in actu exteriori malitia est per se primo objective, formaliter autem derivatur ex actu voluntatis, quia ex illo redditur, seu denominatur actus ille voluntarius.

L. Ad replicam autem, qua dicitur, quod eodem modo loquitur D. Thomas de malitia, quæ oritur ex fine, et quæ oritur ex objecto, dico quod eodem modo loquitur quando uterque actus interior, et exterior versatur eodem modo circa objectum, et finem, scilicet tamquam actus intrinsece voluntarius, et liber, respiciensque per ordinem, et habitudinem intrinsecam objectum et finem; tunc enim uterque formaliter est actus bonus, vel malus ex objecto, aut ex fine. Quando vero actus non eodem modo se habent, sed unus est mere externus, et ab alia facultate productus non est necesse quod eodem modo loquatur D. Thomas de uno et altero, ita quod uterque eodem modo sit formaliter, et intrinsece voluntarius, sed iste externus est tantum denominative voluntarius, id est, solum prout imperatus, et motus ab actu voluntatis, potest tamen esse objectum actus interioris, et sic objective malus, vel bonus, ut expresse affirmat D. Thomas hac quæstione xx, art. 1 ad primum, et sic non eodem modo loquitur de utroque actu.

LI. Ad id vero, quod dicitur de medicina, et sanitate, quæ est formaliter in animali, non in medicina, et tamen causatur sanitas ani-

malis a medicina, respondetur hoc exemplum non debere in omnibus adæquari, sed solum in sua proportionem. Nam verum est, quod aliqua bonitas est formaliter in actu, et objective seu fundamentaliter in objecto, et in hoc parificatur exemplum de sanitate et medicina, sicut enim medicina causat sanitatem, ita objectum causat specificationem in actu, quia est formale specificativum ejus; et sicut medicina non est formaliter sana, sed animal in quo fit sanitas, ita objectum non est formaliter bonum, sed actus. Invenitur etiam quod unusquisque actus bonitatem, vel malitiam quam habet formaliter, et proprie in se, communicat denominative extrinsece alteri, ut actus interior bonitatem ex fine communicat ut circumstantiam actui exteriori imperato, et actus exterior bonitatem quam habet ab objecto, denominative communicat actui interiori, ut circumstantiam quid, quæ est effectus, ut S. Thomas docet in hac quæstione xx, art. III ad tertium. Cæterum in alio non tenet exemplum, scilicet quia in istis actibus moralibus interiori et exteriori, ita unus est causa alterius, quod etiam formaliter in se potest esse moralis, id est, bonus, vel malus, unusquisque respective a suo objecto, interior actus a fine qui est objectum ejus, exterior ab objecto proprio, et circumstantiis, et bonitatem interioris actus participat exterior, supponendo in interiori inveniri formaliter talem bonitatem finis, et non solum denominative, sed potius e contra derivari ad se denominative ab interiori formali. In hoc non tenet exemplum.

LII. Ad confirmationem jam supra dictum est, Aristotelem velle, quod actus bonus non solum debeat esse circa bonum, sed ferri in bonitatem propter ipsam, sed non est necesse

quod propter ipsammet bonitatem, quam habet pro objecto circa quod versatur, sed sufficit quod sit propter aliam bonitatem tamquam propter finem, licet hæc bonitas sit alia, et alterius finis, ex quo movetur ad eligendum, et imperandum hunc actum circa objectum bonum, et sic supponit interiorum actum esse bonum ex fine a se voluto, non tamen tollitur quod etiam exterior actus sit bonus, licet non sit propter suum objectum bonum tamquam propter finem, dummodo sit imperatus ex alio fine bono interioris actus, et sic fertur in bonitatem propter ipsam, scilicet in bonitatem objecti propter bonitatem finis, quæ est ipsa bonitas saltem in eodem genere boni moralis, licet alterius speciei, vel objecti.

LIII. Ultimo arguitur ad probandum totam bonitatem, vel malitiam provenire ab actu interiori in exteriorem, et sic per prius et formaliter esse in actu interiori. Nam actus in tantum est bonus vel malus, in quantum est voluntarius et liber, si quidem moralitas ex natura sua est regulatio voluntarii, sed actus externi sunt voluntarii denominative ab actu voluntatis eos dirigente et imperante, non ex propria elicientia a sua potentia, verbi gratia visus a potentia visiva, motus a motiva; ergo etiam sunt denominative boni vel mali, ergo formaliter et per prius in actu interiori datur ista bonitas, vel malitia. Quod si ex propria formalitate et ratione, actus exterior est bonus, vel malus, ergo secluso actu voluntatis interno tollitur omnis libertas, et ratio voluntarii, quia ab illo dimanat, atque adeo ruit fundamentum moralitatis.

LIV. Et confirmatur, quia si actus exterior est intrinsece et formaliter bonus, id erit per aliquam habitudinem et ordinem. Qui ordo, vel est ad objectum, et hoc non, quia ex

parte objecti non habet libertatem, aut rationem voluntarii, quod requiritur ad moralitatem, nec ille respectus est moralis, sed transcendentalis, vel est ad actum interiorum causantem illum actum externum, et hoc non sufficit, quia etiam baculum movemus voluntarie, aut ignem applicamus, aut brutum agimus, et nihil istorum habet actionem moralem ex respectu ad voluntatem moventem etiam denominative, ergo nec actus facultatis externæ ex eo quod moveatur a voluntate interna.

LV. Confirmatur secundo, quia dicit Anselmus in libro de conceptu virginali, cap. IV: « Quod habet usus, ut actiones, quas facit injusta voluntas, vocemus peccata, quia in voluntate, quæ fiunt est peccatum. » Ergo sentit, quod in solo actu voluntatis interiori formaliter peccatum est. Quod idem sumitur ex Augustino libro de duabus animabus, c. X, dum dicit: « Non nisi voluntate peccatur; » ergo in solo voluntatis actu est per prius, et formaliter peccatum, non in actu externo.

LVI. Respondetur argumentum probare id quod supra diximus, quod si nomine actus externi intelligatur actus facultatis externæ sensitivæ, illum solum denominative extrinsece esse bonum, aut malum sicut et voluntarium, et in talibus actibus totam bonitatem et malitiam formaliter intrinsece inveniri per prius in actu interno voluntatis, a quo redditur ille actus externus voluntarius, et malus. Et in talibus vera est illa causalis: Ideo furtum externum est malum, quia voluntas furandi est mala, licet absolute proferendo furtum, et non ut externum, non dicatur ideo esse malum, quia voluntas furandi est mala, eo quod nomine furti absolute prolata involvitur actus humanus, et voluntarius furti, et iste jam supponit

voluntatem internam furandi. Si vero nomine actus exterioris intelligamus quemcumque actum imperatum, etiam si sit immediate procedens a voluntate, sicut electio respectu intentionis, talis actus potest formaliter intrinsece esse liber, et voluntarius, et consequenter moralis, quia id habet ex vi suæ elicientiæ per intrinsecum ordinem ad objectum, non per denominationem extrinsecam. Unde secluso actu voluntatis, nullus actus erit bonus, vel malus, sed prout fuerit talis actus, proportionate loquendum est; actus quidem omnino externus, id est, facultatis externæ sine actu voluntatis denominative tangente illum, actus vero internus, sed imperatus, et sic exterior sine actu voluntatis formaliter elicito, et intrinsece voluntario.

LVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod actus exterior procedens, et elicitus immediate ab ipsa voluntate, vel appetitu habet intrinsece, et formaliter libertatem, et rationem voluntarii per respectum, et ordinem extrinsecum ad suam potentiam, a qua eliciuntur, et egrediuntur, non per ordinem ad actum a quo imperantur, quia potentia illa libera est, et libero modo actus suos elicit. Si vero sit actus ab alia facultate sensitiva externa immediate elicitus, talis non est formaliter voluntarius, et moralis, sed denominative a voluntatis actu extrinsece imperante, non a potentia intrinsece vitaliter, et immediate eliciente, quia hæc non est formaliter libera. Nec est simile de baculo, aut lapide, vel igne applicato, aut bruto moto a causa libera, quia hæc non sunt instrumenta, aut facultates conjunctæ, nec informata eadem anima, quæ libere operatur per corpus, et per corporeas facultates. Unde tales actiones ex conjunctione et radicatione in eadem anima, a

qua procedunt, sunt capaces talis denominationis liberæ, non operationes mediante alio agente, et alia forma productæ, licet sit mota a causa libera extrinsece. At vero actus illi externi, qui habent libertatem, et rationem voluntarii a voluntate, et ex ordine ad illam, habent rationem regulationis, et moralitatis ex objecto regulato per rationem, quod reali tendentia, et respectu attingitur, supponendo tamen tamquam præsuppositum requisitum, quod sint voluntariæ actiones, et sub tali modo respiciunt objectum regulatum ut præsupponit rationem voluntarii in actu, alias objectum regulatum non est, nisi respectu actus talem conditionem habentis.

LVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ut D. Thomas docet in hac quæstione xx, art. ii ad tertium voluntarium non solum dicitur de actu interiori, sed etiam de actu exteriori proveniente a voluntate. Unde recte dicit Anselmus quod vocamus illas actiones peccata, quia in voluntate est peccatum, id est, quia in voluntate, tam essentialiter quam participata, tam interiori quam exteriori, peccatum est, eo modo quo fuerit talis voluntas, si fuerit propria voluntas, et essentialiter, aut intrinsece libertatem habens, erit peccatum formaliter intrinsece, si fuerit voluntas participative, erit peccatum denominative participative. Et D. Augustinus optime dicit quod non nisi voluntate peccatur, vel voluntate essentialiter, et proprie tali, vel participative, et denominative, quæ denominatio extrinseca nascitur ex voluntate intrinseca.

ARTICULUS VI.

Quid addat malitia exterior ad interiorem, quid eventus sequens, quid multiplicatio actuum?

I. Certum est quod si in peccato exteriori sit malitia ex objecto proprio, illa addit ad malitiam, quæ est ex fine, et provenit ex actu interiori voluntatis, seu intentionis, ut si quis furetur propter mœchiam, sunt duæ malitiæ in illo actu diversæ rationis, et ita una addit ad alteram, quia diversa est. Et idem est si actui exteriori sit alligata aliqua bonitas, quæ non est actui interiori etiam efficaci, ut gratia quæ solum datur ex opere operato susceptioni externæ sacramenti, non voluntati suscipiendi, et indulgentiæ per actus exteriores lucrantur, non per voluntatem lucrandi. Sed procedit difficultas de illa sola malitia, quæ est in actu interiori, et postea derivatur per executionem ad actum exteriorem, an videlicet ipsa executio malitiæ jam volitæ per actum interiorem, ex eo præcise quod ad executionem deducatur novam addat malitiam super malitiam actus voluntatis, quo ipsam voluit, et determinavit executionem. Et dico, quo voluit ipsam executionem, quia si est actus voluntatis nondum volens executionem, neque efficacem, sed solum complacens de re mala, et postea superveniunt actus exequens, non est dubium, quod talis executio superaddit malitiam ad illum primum actum inefficacem, quia intervenit præter illum primum, et inefficacem actum, alius etiam internus voluntatis, quo efficaciter vult illam executionem. Et sic multiplicato actu non est dubium, quod multiplicetur et malitia.

II. Quare difficultas tota consistit inter ipsam efficacem volitionem, et executionem ejus, an sola exterior executio addat malitiam ad volitionem efficacem ejus ex eo præcise quia executio ejus est. Quod si ultra præcisam executionem aliquid aliud addatur, verbi gratia si sit necesse pro executione, voluntatem ipsam magis intendi, aut multiplicare actus, quia non potest aliter fieri executio, tunc etiam addetur, aut crescet malitia propter illorum actuum multiplicationem. Sed hoc non est ex vi solius executionis, sed ex aliis conditionibus ibi repertis, ex quibus crescit, aut multiplicatur malitia. Solum ergo consideranda est ipsa mera, et nuda executio peccati jam voliti efficaciter, an ex eo præcise quod executio ejus sit, omnibus aliis remotis, addat aliquid malitiæ super actum voluntatis internum talem executionem intendentem.

III. In hac re duplex est principalis sententia. Prima affirmativa Scoti in quodlibeto xviii, art. iii, quem multi expositores ejus sequuntur, et ex recentioribus Valentia hic disp. ii, q. xv, puncto ix; Granados disp. vi, sect. ii, et alii. Secunda est negativa D. Thomæ hic quæst. xx, a. iv et in ii, disp. xl, q. i, a. iii. Quam sequuntur communiter auctores, tam antiqui, quam moderni. Ex antiquis sequuntur S. Bonaventura in ii, dist. xlii; Richardus ibi, Ægidius, Durandus, Gregorius, Gub. Capreolus, Almainus, in suis moralibus, tract. iii, c. xviii; communiter expositores D. Thomæ super hunc locum quæst. xx, a. iv; ibi Cajetanus, Conradus, Medina, Vazquez, disp. lxxvi, c. ii; Suarez disp. x, sect. ii; Lorca disp. xlv; Montesinos disp. xxviii, q. v, et plures alii.

IV. Ex patribus plura citantur testimonia, quæ favent huic sententiæ, qui communiter dicunt voluntatem esse pensandam in opere,